Skomieczny Fabiani: Bellator Sarmaticus in exemplari praestantissimo Jllmi D. Sigism. Kazanowski.

BELLATOR SARMATICVS,

In exemplari præſtantiſsimo

Illuſtriſſimi ac Magnifici Domini,

D. SIGISMVNDI á KAZANOW KAZANOWSKI,

Supremi Regiæ Cameræ Præfecti,

Kochonauſeñ: Soleceñ: Głobuceñ: Mucharouieñ:

CAPITANEI

expreſſus,

Et

Illuſtriſſimo ac Magnifico Domino,

D. NICOLAO GIZICKI,

Caſtellano Czernenſi, &c. &c.

A

P. FABIANO SKONIECZNY, Officij & debitæ obſeruantiæ ergò Anno reparatæ ſalutis humanæ, Supra Milleſimum Sexcenteſimum Trigeſimo quarto

OBLATVS.

CRACOVIÆ, *Typis Franciſci Cæſarij, Anno 1634.*



IN ARMA Gentilitia Illuſtriſsimorum DD. GIZYCIORVM.

GIZICIAS monſtrant in Stemmate Lilia laudes,
Lilia candidulis candidiora roſis.
O quantum Patriæ ſpirant virtutis odorem!
O quantas meritis eiaculantur opes!
Conſilium, pietas, candorque fideſque, decuſque
Veſtris in folijs Lilia amœna vigent.
Sarmaticis longùm pulcherrima Lilia campis,
Florete & patrios condecorate choros.

FRANCISCVS DELPACI,
Stud: Almæ Acad: Crac.

ILLVSTRISS: ac MAGNIFICO D.

D. NICOLAO GIZICKI,

Castellano Czernensi, &c. &c.

Mæcenati & Fautori suo amplissimo.

P. FABIANVS SKONIECZNY, cum cælesti à Deo Opt: Max: benedictione præsentissimam animæ & corporis salutem propensissimo animo precatur.

BEllatoris fortissimi, Illustrissimi ac Magnifici D. SIGISMVNDI KAZANOWSKI, Supremi Regiæ Cameræ Præfecti, Kochomi Regiæ Cameræ Præfecti, Kochomnausen: Solecen: Globucen: Muncharouien: Capitanei, merita, virtutesq́, non fucato adulationis penicillo, ad ingratam ostentationem; sed vero, & minimè adumbrato pietatis affectu, ad posteritatis imitationem depingo; & Tuo inprimis conspectui longè dignissimo Illustrissime ac Magnifice Domine Castellane, Mæcenas & Fautor studiorum meorum per quam obseruande, propono: vt nimirum is Vir gloriosissimus, qui Patriam consilio, ac præsi-

ac præsidio tuetur, Te verò Magnifice D. beneuolentiâ & fauore incredibili cõplectitur, in hominum gratissima memoria, & iucundissima veneratione (etiam dum est superstes) viuat & conquiescat. Neq; enim decet, aut ostentatricis antiquitatis, ficta exempla excutere ad stuporem, & admirationem; cum nobis liceat vti nostratibus exemplis, eorum virorum, qui hoc sæculo in summis honoribus Patriæ, & amplissimo theatro Reipub. vigent, & florent: aut hoc auspicatissimo anni initio, quo omnes mutuis votis & propensissimis desiderijs omnia sibi fausta, & fælicia comprecantur, ingrati animi vitio (quod ab ingenuis animis esse debet alienissimum) laborare. Itaq; Illustrissimus ac Magnificus Dominus SIGISMVNDVS KAZANOWSKI, *fructum laborum, meritorumq; suorum (quæ pro Patria, pro legibus, pro libertate, pro aris, & focis, gloriosissimè sibi, Nominiq; Polono, Marte, Togaq; congessit, ac coacervauit) referat amplissimum, per illustrem magnorum Virorum commendationem, amplificet studia, augeat vigilias, contentiones maximas, pro bono communi suscipiat & intendat, vt excitet nobilissima ingenia, suas in laudes & encomia, vt vi-*

 geat,

geat, vt ſloreat, vt viuat in omni ſeræ poſteritatis memoria: ego equidem operæ precium me facturum arbitror, ſi hoc ſaltim exiguo laboris mei ſpecimine, minimam tanti Senatoris gloriæ portionem, aſſecutus fuero, eamq́ in Tuo Magnifice Dñe conſpectu longè nobiliſſimo expoſuero. Neq́ enim quam Tua ſit maiorem huic opellæ meæ quærere volo lucem, cum præſertim hæc mihi meisq́ ſtudijs ſemper benigna, ſemper fauens, ſemper illuſtris ac liberalis fuit. Satis magnum expoſitum eſt mihi gloriæ theatrum, ſatis induſtriæ campus excellens apertus, ſi coram Te glorioſiſſimi pariterq́ fortiſſimi Herois laudes dictione mea perſtrinxero: nam me luculenter omnes explicare poſſe, nequaquam affirmare audeo: cum nullius ſit tantum flumen ingenij, nulla dicendi aut ſcribendi tanta vis, tantaq́ copia, quæ ſufficienter fortiſſimi Senatoris merita, aut comprehendere poſſit orando, aut percenſere numerando. Patere itaq́ me coram Te Magnifice Domine virtutes, virtutumq́ præmia honores, Patriæ Bellatoris fortiſſimi exponere: in quibus tamen legendis ac recenſendis non grauem ſtylum, qui forſan in illis, ab alio merito requireretur, deſiderabis non lenocinia verborum, phaleratumq́ colorem dicenti

inue

inuestigabis, sed nimirum simplicia & candida rerum momenta; nudamq́ veritatis imaginem contemplaberis. Quanquam enim facile intelligam, quo ingenio, quo spiritu & dicendi modo, Senatoris de Repub. sine controuersia longè meritissimi virtutes debeāt explicari: tamen quoniā tantæ lucis splendor oculos perstringit perturbatq́ meos, suffecerit in obsequium promptam expedijsse voluntatē, & eloquentiorum contentionem in apertum industriæ campum prouocasse. Equidem, eo quo soles animo, Illustriß: Dñe bonarum artium cultores complecti, me quoq́ meumq́ hoc exiguum quamtumuis munus suscipies, & in Tuum conspectum longè dignissimum admittes. Tāta enim est Tua humanitas, tāta virtus, tanta propensio, tantaq́ alacritas in me meisq́ studijs promouendis & amplificandis, vt amens sim, si aut has ingrato silentio comprimere, aut de his dum mihi vita superstes erit, non honorificam benemerendi prensare debeam occasionem. Viue fælix Illustrissime Domine ad patriæ Ecclesiæq́ decus & ornamentum, & me, meumq́ istum ingenij fætum patrocinio Tuo protege & complectere. Vale.

Illustriß: ac Magnifici D. V.
Deuotissimus
P. Fabianus Skonieczny.

IN ARMA GENTILITIA
Illustriss: DD. KAZANOVIORVM.



IN portis donec miles vigilâris apertis,
Securum tantis regnum erit & excubijs
Inuigila fælix, rigidos & concute Moschos
Quam valeas dextrâ, Thraxq́; Scythesq́; dolet.

FABIANVS BOROWSKI,
Studiosus Eloquentiæ.

BELLATOR
SARMATICVS,
In exemplari præſtantiſſimo
Illuſtriſſimi ac Magnfiici Domini,
D. SIGISMVNDI á KAZANOW KAZANOWSKI,
Supremi Regiæ Cameræ Præfecti,
Kochonauſeñ: Soleceñ: Głobuceñ: Mucharouieñ:
CAPITANEI
expreſſus.

SI pro immortalibus Tuis in me ſtudiaq; mea beneficijs, nequaquam ſatis parem laudum meritorumq́; Tuorum facere potero commemorationem, Illuſtriſſ: ac Magnifice Domine SIGISMVNDE KAZANOWSKI, quæſo obteſtorq́; Te, ne meæ

potiùs indoli, quæ Tuum ſemper in obſequium prōptiſſima eſt, quàm magnitudini Tuarum virtutum, id tribuendum putes. Nulla enim eſt tam fælix tamq́; beata, vel ingenij, vel eloquentiæ vbertas, nulla rectè dicendi aut ſentiendi, tanta vis, tantaq́; fælicitas, nullus genius, nullus Orationis impetus, atq; ſplendor, quo quiſquam poſſit, Tua in patriam & Eccleſiam Dei vniuerſa promerita, non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando. Verum & illud conſiderati hominis eſſe puto, in ſummis magnorum Heroum laudibus, balbutientem fateri potius infantiam, & animi imbecillitatem, quàm ſuperba verborum iactatione, turgeſcere ad ambitionem: & hoc iuſti, ne minima quidem ingrati animi ſuſpicione, apud fauentiſſimum benefactorem laborare. At mihi quidem cùm inſolens præcipuè videatur illa in coaceruandis importunis laudibus oſtentatio, tùm impudens in iudicio: non ſolum quod grauiſſimorum virorum acre & ſolidum non extimeſcat iudicium (nam id quidem quanquam ſit apud ingenuos moleſtum tamen morbo quodam, vel potius iniquitate ſæ-

culi,

culi, est iam vsu receptum) sed etiam quod non dubitet hâc temeritate insolentis gloriæ, benè meritorum Ciuium frequenter famam & innocentiam obfuscare, & obtundere. At verò hæc Tua laus Illustriss: Domine, quam Tibi indiserta Oratione mea propono, tanto maior & illustrior est, quanto maioribus eam Tibi meritis ac laboribus florentiorem vberioremq́; reddidisti. Non inuiti eam Tibi concesserunt principes, qui Tuam virtutem intimo amore prosecuti sunt & complexi: agnouerunt prudentissimi Patriæ Ciues, Senatus florentissimus toties audaxit, Patria & Resp. vniuersa, Equesterq́; ordo nobilissimus, multis honorum accessionibus, summa cum propensione & consensu approbauit. Valuit semper apud Te candor, nunquam valuit fucus & assentatio: laboribus virtutem, virtutibus merita, meritis famam, & illustre decus immortalitatis, quæsiuisti & confirmasti. Quare neq; subuereor, ne me quispiam Censor apud Te insolenti virgulâ castiget, cum nihil hac dictione mea, nisi quod verum, & omnino certum sit, nihil nisi solidum, nihil nisi magnum proponam. Loquar autem

apud Te tanquam prȩſentem, cum interea tu non ſtylum, ſed tela tractas, non Orationi ſed caſtrorū metationi attendis & inuigilas; non has Muſas amæniores, ſed rigidum Martem, ſub rigido cælo, contra rigidos ac perduelles Moſchos exerces: dum Sereniſſimo Regi præſens ſemper, præſtoq́; ades, dum illius ſaluberrima conſilia ingenio, labores longè maximos promptitudine, vigilias acerrimas, aſſiduitate, contentiones incredibiles & periculoſam belli aleam dexteritate, cæteraq́; Regis fortiſſimi munera, pro imperij gloria, pro nominis Chriſtiani dignitate, pro regni fama & incolumitate, pro religione, pro libertate, pro immortalitate, ſuſcepta, cum alijs fortiſſimis Principibus, vniuerſoq́; ordine Equeſtri, & exercitu numeroſiſſimo promoues & adiuuas.

Ea eſt virtutis natura, atq; indoles, vt nunquā niſi in laude maxima, iuſtiſſimiſq́; honoribus vigere ac florere non poſſit. Nam quanquam ab intēperantis inuidiæ ſtimulis, nonnunquam pungatur, prematurq́;, nunquam tamen lædi, nunquam vllo malitiæ impetu opprimi ac labefactari poteſt: cū ſemper eius dignitas, ſplēdor, integritas, apertam

erumpat

erumpat in lucē hominū, ſępiuſq́; oculos maleuolorum perſtringat feriatq́;, innocentes recreet, ac reficiat, ſuum decus, ſuamq́; inuiolatam retineat, ac tueatur maieſtatem. Age verò ſi tantum ſibi virtus vendicat ſplendorem, viri virtutis amātes & gloriæ, nullumne decus à virtute, nullam pulchritudinem ac perfectionē conſequentur? Cum præſertim communis hæc ſit inter viros meritis eximios, & ipſam virtutem laudis gloriæq́; poſſeſſio, commune bonum immortalitatis, communis participatio honorum, & ornamentorum longè maximorum. Vt enim virtus per viros illuſtres: ſic illi per virtutem inclareſcunt: cum alterum ſine altero neq; intelligi, neq; penitus conſiſtere poſſe videatur. Longè verò ab æquitate & veritate diſcrepat, quod Brutus moriens efflauit, virtutem in verbo tantum, & quodam nomine fluxo conſiſtere, in rebus autem precioſis & immortalibus, nullum momentum, nullum certum pondus, vendicare dignitatis. Virtutem equidem, in pulcherrimis clariſſimorum virorum exemplis laudamus, virtutem in rebus præclarè geſtis commendamus, virtuti gloriam, lau-

dem, immortalitatem, iure quodam hæreditario adſcribimus ac concedimus: in virtute viros, & viciſſim virtutem in viris nobiliſſimis, ſuſpicimus & admiramur: cum neq; ſine virtute viri, neq; virtus ſine virorum opera, & mutuo quodam auxilio, intelligi ac perſpici poſſit. Itaq; Suadæ medulla, & parens eloquentiæ Romanæ Cicero, cum furias illas Reip. Piſonem & Gabinium perſtringit, qui M. Catonis grauiſſimi & æquiſſimi Senatoris conſtãtiam, & animi robur infirma quadã leuitatis ſuſpicione aſpergere & infuſcare voluerunt, non minus virtutem in Catone, quàm Catonem in virtutis poſſeſſione retinet, & commendat. At etiam eo negotio (inquit in Oratione pro Pub. Seſtio) M. Catonis ſplendorem maculare voluerunt, ignari quid grauitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid deniq; virtus valeret: quæ in tempeſtate ſæua quieta eſt, & lucet in tenebris, & pulſa loco manet tamen, atq; hæret in patria, ſplendetq; per ſe ſemper, neq; alienis vnquam ſordibus obſoleſcit. Quid illi ipſi viri ingenioſiſſimi qui ſub inuolucris fabularum, & quibuſdam velut ſimulachris, veritatis, & recondi-

condi-

conditæ ſapientiæ depinxerunt imaginem, nonnè certiſſimum virtuti Comitem honorem, in diſſolubili vinculo coniunctum aſſignauerunt? Profer illud tuum glorioſiſſimum de virtute teſtimonium diſertiſſime Claudiane, vt intelligamus, non minus Te altiſſimi Philoſophi ſenſum inter poëtas, quàm nobiliſſimi Poëtæ genium inter Philoſophos retinuiſſe. Panegyrim enim illam Tuam ita in Conſulatum Manlij Theodori effinxiſti, vt in ea nec Philoſophus maius robur, nec Poëta exquiſitiorem verborum apparatum requirere poſſe videatur. Itaq; Tibi fauemus, Tibi aſſentimur, Tecum loquimur ſentimuſque.

Ipſa equidem virtus precium ſibi ſolaq́ latè
Fortunæ ſecura nitet nec faſcibus vllis,
Erigitur plauſuq́ cupit clareſcere vulgi,
Nil opis externæ cupiens nil indiga laudis,
Diuitijs animoſa ſuis, immotaq́ cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce:
Hanc tamen inuitam blandè veſtigat, & vltrò
Ambit honos.

Itaq; prudentiſſimi ac ſapientiſſimi Romani, inter ingenioſiſſima ſua decora & ornamenta, ædes

Hono-

Honori, atq; virtuti, gemella facie iunctim locarunt; commenti quod in re videmus, ibi merito debere fulgere præmia honoris, vbi sunt illustria merita virtutis. Sed quid ego hæc quasi dubia, & minimè veritati consentanea reuoluo & examino, cum nemo sit adeò ipso sensu communi & ratione destitutus, qui laudem, qui gloriam, qui honesta præmia & ornamenta, nobilissimis virtutibus audeat denegare. Præfulges iustissimis barbarorum laureis ornatus Illustriss: ac Magnifice Dñe SIGISMVNDE KAZANOWSKI, ad Te enim mea iam spectat Oratio, & merito præfulges: Nunquam enim Tua illa virtus magno & heroico defixa pectori, & à maioribus ad iustam transmissa imitationem, turpi languore aut inertia præoccupata vel obfuscata fuit. Nam vt omittam gloriosa stemmata, & gentis Tuæ illustria monumenta fusa Oratione numerare, ne ex alieno splendore, alienam Tuæ famæ atq; gloriæ quærere videar lucem; quis non videt, te genti Tuæ decus, maioribus similia merita & virtutes adiecisse? Qui cum in ea Rep. natus esses, quæ omnes suos Ciues libertatis honore, aduersus

omne

omne dedecus obarmat & adornat, ita ſemper verâ libertate vſus es, vt nihil vnquam abiectum, nihil ab honeſtate diſcrepans, & diſſonum, nihil immoderatum, nihil niſi Te, Tuâque indole dignum tractaris. Hæc vera libertas eſt, nunquam à conſcientia, nunquam à bonis moribus & legibus diſcrepare. Nemo vllam audaciam Tuis in factis, nemo in dictis importunitatem, nemo in moribus leuitatem, nemo temeritatem in conſilijs, nemo vllo in negotio inſolentiam, nemo vel minimam ſuſpicionem delicti, ne acerrimus quidem inimicus, niſi idem eſſet inſaniſſimus, in vita notauit. Quanquam quæ Tibi inimicitiæ vllo cum genere hominum intercedere potuerunt, qui Tuâ comitate, humanitate, beneuolentiâ ita deuincire ſoles ſingulos, vt amicos omnes fauentiſſimos experiaris. Profectò non maior magneti ineſt virtus, quâ rigidum ferrum ad ſeſe attrahit, quàm tibi vis, atq; propenſio, in amoribus hominum comparandis. Magna hæc equidem eſt laus, magnum viri in Rep. florentiſſima viuentis encomium, magnum decus & ornamentum excellentis ac diuinæ propemodum

virtu-

virtutis: ita omnes actiones, omnia negotia, consiliaq; omnia, mores deniq; & vitam componere & attemperare, vt in summa diuersitate animorum & ingeniorum Ciuilium, omnibus non omnino possis displicere: quod ne Iupiter quidem ipse, vt Theognides Græcus Poëta testatur assecutus est.

Ου γὰρ ὁ ζεὺς
Οὔθ' ὕων παντας ἁνδάνη, οὔτε ἀπέχων.

Si verò secundum Latini Poëtæ testimonium:

Principibus placuisse viris pulcherrima laus est.

Quis in eo munere SIGISMVNDO KAZANOVIO fælicior, aut fuit, aut esse potuit, qui omnibus hac ætate Regibus ac Principibus placuit vehementer. Placuit STEPHANO BATHOREO perspicacissimo illi Argo in optimis Ciuium ingenijs diiudicandis. Placuit SIGISMVNDO III. prudentissimo & sapientissimo Regi, in consilijs aptè ordinandis, & bonis Ciuibus ornandis: placuit semper, & etiam num placet VLADISLAO IV. Regi nostro potentissimo atq; fælicissimo: cuius benignitas, fauor, propensio, liberalitas, in gentem KAZANO-

VIAM,

VIAM, tanquam ex Amaltheæ cornu, longè fælicissimis accessionibus in dies crescit & propagatur. Quod quidem illis meritò, atq; optimo iure contingit. Quis enim est illis aut nobilitate, aut vitæ integritate, aut optimarum artium studijs, aut liberalitate, aut rebus Marte Togâq; gestis, aut vllo genere laudis præstantior? Creuit & floruit semper omnibus sæculis, scientia rei militaris, atq; fortitudo in domo KAZANOVIA, sed hac potissimum tempestate, in Illustriss: MARTINO KAZANOWSKI, quem hoc superiori anno campestrium copiarum salutauimus Imperatorem: clarissime eluxit, & sese in apertissimum gloriæ campum extulit & explicauit. Hic ego de illius laboribus in negotijs, fortitudine in periculis, industria in agendo, celeritate in conficiendo, consilio in prouidendo, cæterisq; muneribus fortissimo Duce dignis, quid dicam? cum hæc omnia etiam me tacente, in hoc graui ac periculoso bello, quod contra perduelles Moschos pro regni & imperij finibus, pro libertate gentis, pro nominis Poloni gloria, pro Sanctissimi iusiurandi religione violata Du-

 ce &

ce & auſpice Sereniſſ: VLADISLAO gerimus, illuſtriora ſint, quam vt illa debeam commemorare. Quid Staniſlaus & Adamus filijtui Illuſtriſſ: Domine, nonne ad ſimilem ſpem, maximis & illuſtribus ſuis meritis ac contentionibus aſſurgunt? Sæpius illi tuis clariſſimis meritis, atq; laboribus quæ in maximis bellis, toto vitæ Tuæ curſu pro Reip. defenſione fortiſſimè ſuſcepiſti, ad ſimilem gloriam & virtutis imitationem excitantur: neq; fas eſſe putant verſari ſe in veteri alienorum exemplorum admiratione, cum illis liceat præſens ac gentilitium iure hæreditario fortitudinis poſſidere decus. Neq; enim potentiora ſunt aliena, quàm noſtra in nobis exempla ad virtutum imitationem. Itaq; Tu illis benè munitam Tuo exemplo ad gloriam & immortalitatem ſtrauiſti viam, Tu illos admonitionibus ad pietatem inflammaſti, præceptis ad fortitudinem excitaſti, vitâ moribuſq; ad iuſtitiam, temperantiam, animi moderationem & conſtantiam finxiſti, formaſti, confirmaſti. Neq; enim ocio turpi, neque illecebris inanibus vnquam indulſiſti, non vitæ genus molle ac volu-

ptuarium delibasti, non blandissimis vnquam Syrenũ vocibus aures accommodasti tuas, sed Te totum rigidis militiæ armorumq́; exercitijs, in obsequiũ Patriæ dulcissimæ addixisti ac consecrasti. Nam posteaquã eas artes, quibus ætas puerilis ad humanitatem imbui solet, ex fontibus Academicis, pleno ore hausisses, ad labores grauissimos, vigilias, exercitiaq́;, tum aulica, tum militaria, animum quàm diligentissimè Tuum admouisti & accommodasti. Aulica equidẽ omnis Tua occupatio (vt hinc potissimum cõmendationem Tuę virtutis attingam) nihil leue, nihil insolens, nihil abiectum, nihil reprehensione dignũ spirabat vnquam: sed semper grauis, moderati, & excelsi animi laudabilia dabat argumenta. Nam errant, & vehementer hallucinantur, qui pietatem, qui constantiam, qui grauitatem, qui morum integritatem, cæterasq́; virtutes ingenuo homine dignas, ab aula in remotissimum quoddam desperationis exilium abigendas esse, & eijciendas arbitrantur. Honestatis est aula, non sceleris palæstra, bonorum ingeniorum asyllum, non ignauiæ, vt quidam putant receptaculum, non turpis

 ocij,

ocij, ſed glorioſi negotij ac laboris officina; prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, iuſtitiæ gimnaſium, vbi generoſi animi, ad ſpem Patriæ, & Eccleſiæ, ſummis grauiſſimorum virorum exemplis excitantur, & tanquam in Prytaneo Honoris, ad omne Reipub. obſequium, formantur & educantur. Itaq; prudentiſſimi atq; digniſſimi quiq; Ciues Patriæ, ſaluberrimo & optimo conſilio, ab Alma noſtra bonorum ingeniorum altrice Academia, ſuos filios emiſſos, in aulas Principum, tanquam in theatrum & lucem Reip. pulcherrimam, & ſemper mittebant, & hoc tempore mittere ſolent, Neq; verò mihi obganniat vllus etiamſi è cælo defluxerit Cato, pleroſque in aula moroſos, aſperos, ſuperbos, difficiles, & multis magniſq; vitijs, ac ſceleribus infectos, ac inquinatos viuere, qui nec ſibi quicquam, ſuæq; rei priuatæ, nec Reip. adferre poſſint emolumenti ac ſolatij. Nam præterquam quod difficile ſit hoc affirmare de omnibus, quis iſta non aulæ; ſed hominum eſſe vitia recognoſcit? Omnino ſoluti ac fluentes animi, non accipiunt ab aulis mala iſta, ſed in aulas afferunt; vt qui virtutes in clariſſimis

tissimis sibi propositas nobilissimorum aulicorum exemplis debebant exprimere & imitari, maluerint prauo quodam ingenij sui deliquio, inconsultæ multitudinis temeritate abripi, & errores ex aliena licentia decerpere. Sed demus aliquid aulicæ leuitati, ingenuus tamen & generosus adolescens, nunquam hanc in suum animum admittet, nunquam harum nugarum suspitione laborabit, nunquam se vllis illecebris, de recta virtutis ac probitatis statione dimoueri patietur, imò ex frequentibus prauorum etiam aulicorum periculis prudentem, in suum bonum capiet cautionem. Quis ignorat laboriosas apes, non ex omni solum optimorum genere flosculorum, sed ex ipsis etiam vrticis, mel dulcissimum colligere: areneos verò, vel ex purissimis rosis teterrimum venenum sugere?

Non recipit mens pura malum, neq; fortibus hæret.
Inspersæ fibris maculæ.

Sicut verò solem videmus loca omnia etiam impura illuminare non tangere: sicut Alphæum tradunt veteres Arethusæ misceri, nec quicquam tamen ab ea trahere: ita aulicis moribus nobilis &

inge-

ingenuus animus erit intentus, vt ſit nec virtutis immemor, nec ſui. Ibi omiſſis ineptijs literas amæniſſimas, deducet in ſolidum publicæ lucis exercitium, & quantum ingenio, quantum vſu, conſuetudineq; rerum, quantum optimarum artium ſtudio, quantum eloquentiâ & authoritate profecerit, in conſpectu grauiſſimorum virorum luculentiſſimè probabit. Non ferebant ſummi, in hac Rep. viri, & indignum huius Patriæ moribus iudicabant, vt is qui nobiliſſimus eſſet, & in hoc ſole, in hac luce natus audeeret in tenebris, ſine publico virtutis exercitio viuere. Orator equidem noſter Roxolanus in ea panegyri, quam in Nuptias Ioannis Chriſtophori Tarnouij ſcripſit, inter alias excellentes eius viri laudes illam quoq; adiungit non poſtremam, vt à Patre Ioanne Tarnouio grauiſſimo & prudentiſſimo Senatore (qui Dacorum, Moſchorum, Scytharumq; victor fuit longè fæliciſſimus) è ſinu matris auulſus in Germaniam ad Ferdinandum Romanum Regem, miſſus fuerit, vt inter filios Ferdinandi adoleuerit, vt ſub ipſo Ferdinando, militiam & graue Martis opus exercuerit, vt

rit, vt virtutes maximas ab eo Imperatore hauſerit, quo conſilio, grauitate, conſtantiâ, fælicitate, cæteriſq; tum honoris, tum ingenij, ac rerum geſtarum ornamentis, nemo maior aut ſpectatior, inter principes orbis Chriſtiani illo ſæculo florentiſſimos, aut fuit, aut eſſe potuit. Hac Tu laude conſpicuus in aulis nobiliſſimorum principum floruiſti, his initijs atq; gradibus, honores ampliſſimos meruiſti, his moribus adoleſcentiam rexiſti, & erexiſti tuam. Nam inter nobiliſſimos aulicos, primo STEPHANI BATHOREI, deinde SIGISMVNDI III. ſapientiſſimorum grauiſſimorumq; Regum, ita verſabaris, vt ſi non omnibus ſuperior, æqualis tamen ſemper, nunquam inferior habereris: atq; ita te moderatè, prudenter ac circumſpectè ſemper geſſiſti, vt nec virtus tua præmio caruerit glorioſo, nec inuidiam in ſe tamen concitarit alienam! Eos certè nunquam ad tuam familiaritatem admiſiſti, qui vitæ turpitudine, aut ebrietate, aut luxurioſâ libidine, aut feroci immanitate, aut alicuius ſceleris contagione fuiſſent inſperſi vel obfuſcati: ſed eorum ſemper amicitiam exoptaſti, eorum mores ſuſpexiſti, qui potiſſimum con-

 tinen-

tinentiâ, ſobrietate, prudentiâ, iuſtitiâ, cæteriſq; clariſſimis virtutibus luculentiſſimè floruiſſent. Memineras enim Te ea ex familia ortum, quæ ſummis ſemper virtutibus claruiſſet: ſciebas monumenta antiquitatis nobiliſſimam de maiorum tuorum virtutibus reliquiſſe commendationem: vnde non ſolum illorum præclarè rebus geſtis, ſed tuis etiam rectè factis illuſtrem tuæ genti gloriam conciliare voluiſti. Perfeciſti virtutibus animum, excoluiſti optimis diſciplinis ingenium, auxiſti meritis patriã, ampliſſimis honoribus Familiam, gentemq; Tuam cumulaſti: & cum eas dotes animi, & corporis ſingulari naturæ beneficio, poſſediſſes, quibus per ſe ſingulis immortalitatem aſſequi poſſes, non Te ſatis tamen fieri poſſe glorioſũ putaſti, niſi omnibus illuſtris, omnibus admirabilis, omnibus cõſpicuus ac abſolutiſſimè cõmendatus eſſes. Fælici equidem ſydere laborioſam militiæ ſpartam ſuſcepiſti, fælicius tractaſti, fæliciſſimè adornaſti, & huc vſq; incredibilibus ampliſſimorum meritorum acceſſionibus adornas. Nam quid ego referam, quas laudes, quas adoreas, quæ encomia, bellorum certaminibus fueris conſecutus, quibus ornamentis labo-

riosam vitam exegeris, quâ pietate in patriam vsus fueris, cum hæc ipsâ veneranda Tua canities, tantiq; quibus frueris honores (vt verò quàm longissimos in annos fælicissimè fruaris Deũ gloriosum feruentissimis votis precamur) & omnes qui veræ virtutis gustum habent, Patriæ Ciues testari possunt. Testis est HVNGARIA, quæ tuum Equitatum omni splendore, & magnificentiâ instructum, apud STEPHANVM BATHOREVM admirabatur: huius enim Regis frequẽtem facere debeo mentionem, apud quem Tu propter eximiam singularemq́; virtutem tuam inprimis floruisti. Testis est LIVONIA, quæ fortissimis legionibus, impressionibusq; tuis, iter nostro exercitui, in sua viscera aperuit. Testis est MOSCHOVIA, quæ sæpius suæ fraudis, atq; sceleris SIGISMVNDO III. fortissimo atq, felicissimo victori pœnas dedit, & nunc VLADISLAO IV. vltori & vindici iustissimo dabit. Testis est Scythia, quam fugacissimi prædatores tuis armis toties repressi & fatigati, turpi trepidatione compleuerunt. Fauit enim Tuæ semper industriæ, prospera fortuna, quæ virtutem ducem comitatur: hinc celebre tuum nomen non solum in no-

 stra

ſtra Repub. eluxit, ſed vicinas etiam regiones omnes promptam facilè rapuit in admirationem! Vt verò hos tuos in re militari labores maximos omittam, quos nullum flumen ingenij, nulla dicendi aut ſcribendi vis, atque copia ſufficienter explicare poteſt, quis in Te, pietatem, quâ ardes in Deum, religioniſq; Catholicæ promotionem, meritò non admiretur? De qua ego copioſam inſtituere poſſem dictionem, niſi ſuſpicionem aſſentationis apud Te virum præſertim grauiſſimum cōſultò fugerem. Vera equidē pietas, fingi & ornari minimè cupit, contenta eſt ſuo precio, quod diligentibus ſe Deus præparauit: Vera pietas fugit oſtentationem, non erigitur blando ſpectantium ſuſurro, non turgeſcit laude, non inflatur ambitione, non aurâ populari commouetur. Magnum illi theatrum conſcientia eſt: magna gloria mentis innocentia, atq; puritas, magnum præmium, magnus teſtis & iudex Deus. Liberalis eſt non auara, benigna non aſpera, patiens non inflata, modeſta non ſuperciliosa, humilis & candida, non fucata; ac deniq; eiuſmodi vt potius in corde, quàm in ore, in Deo, quàm in populo habitare velit, ac conquieſcere. Hanc cum ipſo

ſpiritu,

ſpiritu, à parentibus religioſiſſimis hauſiſti, & à prima adoleſcentia ſemper cultam & obſeruatam in omni vita auxiſti & propagaſti: huic mentem & cor, actiones cogitationeſque omnes deuouiſti & conſecraſti? hanc ſummo ſtudio & diligentiâ tenerum in animum Sereniſſ: VLADISLAI Principis inſtillaſti, cuius virtutum cuſtos, & admirator fæliciſſimus à ſapientiſſimo & grauiſſimo Rege SIGISMVNDO III. delectus & aſſignatus fuiſti. Itaq; Tibi Senatus, Tibi Equeſter ordo florentiſſimus, Tibi Reſp. vniuerſa, officioſam agit gtatiarum actionem, pro illis maximis propenſiſſimisq; officijs tuis, pro illis laboribus, vigilijs, exercitijſq; militaribus, quæ Sereniſſimo Principi, in omni curſu vitæ ſtudioſiſſimè fæliciſſimèq; impendiſti: & omnibus gentibus ad benè de Rep. Polona ſperandum quaſi ſignum aliquod erexiſti. Magnæ ſunt Tuæ laudes, magna Tua encomia Illuſtriſſ: D. quod egenis auxiliatricem manum, facili negotio ſubijcias, ; quod afflictos excites & erigas ad ſpem bonam, quòd amicos beneuolentiâ & candore complectaris, quòd in viros omnium Familiarum religioſiſſimos, paſſim liberaliſſimam munificentiam effundas, & exerceas, quòd Polonam & Academicā impenſiſſimè tuearis

 liberta-

libertatem eamq́; ab impressionibus maleuolorum vindices, quòd deniq; Ciuium bonarum partium animos, incredibili humanitate, comitate, affabilitate, Tibi deuincias, meritis & honoribus illustres & promoueas: verum hoc affirmo, & hoc pace dicam Tua, nullam in his esse laudem, nullam gloriam ampliorem firmioremq́;, quàm eam, quam ex altrice curâ, ex illa sollicitudine Tua, ex illis expeditionibus bellicis, quas cum Sereniss: Principe VLADISLAO gloriosissimè gessisti consecutus es. Non exiguam equidem partem earũ laudum meritorumq́; maximorum Tibi decerpere potes, quæ Sereniss: ac fælicissimus Rex noster Dominusq; clementiss: summa cum nominis sui gloria, in annalibus æternitatis defixit ac collocauit. Itaq; quòd populorum motus concitatos comprimat, iudiciorum religionem conseruet, Senatus grauitatem authoritate prudentiâq; suâ moderetur: quod viros fortes, præmijs ornet, languentes militum animos, fortitudine & exẽplo suo ad gloriosam excitet imitationem; quòd impressiones barbarorum, à finibus regni, à fortunis, à templis, à Ciuitatibus arceat, reprimatq́;, quòd opem ferat obsessis vrbibus, det salutem gentibus supplicibus, liberet periculis, bellum ipse pro incolumitate,

mitate, & tranquillitate ſubditorum, pro legibus, pro libertate, pro religione, pro aris & focis ſuſcipiat: quod depugnet pro gẽtis nominiſq; ſui gloriâ, inuigilet pro immortalitate, pietatem in Deum, liberalitatem, munificentiâm, magnanimitatem in benè meritos Ciues, cæteraſq; optimo Principe dignas virtutes colat, & exerceat: hæc tanta, tamq; illuſtria negotia, nunquam ſine Te, ſemper (quod ſciam) Tecum gerere & expedire ſolet, Vnde maiori omnino apud prudentiſſimũ clementiſſimumq; Regem gratiâ & auctoritate polles, quàm aut Linus apud Herculem, aut Chyron, vel Phænix apud Achillem, aut Neſtor apud Agamemnonem, aut Lyſias apud Epaminundam, aut apud Alexandrum Magnum Lyſimachus, aut apud Æneam Achates, aut apud Demetrium Phalereum Theophraſtus, aut apud Traianum Plutarchus, aut ſi qui vnquam virtute, ingenio, auctoritate, eximij viri, apud orbis Principes clariſſimos in fauore & beneuolentiâ floruerunt. Te quidem, tuamq; Familiam florentiſſimam Illuſtriſſ: Domine, dum habebimus, vt autem quàm diutiſſimè habeamus, velle & optare debemus, non nimis vt puto veteres illos Heroes, regnorum & imperiorum defenſores glorioſos deſiderabimus,

bimus,

bimus, quos vel ſuperba Græcia, vel prodiga bonorum virorum Sparta, vel feraciſſima fortiſſimorum bellatorum Italia, vel ceteræ gentes ac nationes ad ſtuporem & oſtentationem iactare ſolent. Ita enim Te primis ab annis aſſiduitate in bonis ſtudijs, & exercitijs aulicis & militaribus comparaſti, ita beneuolentia in amicos floruiſti, ita Te dexteritate in negotijs, meritis in Ciues, fide, candore, aſſiduitate officiorum, in Regum potentiſſ: gratiâ confirmaſti & illuſtraſti, vt Te iſtas virtutes atque ornamenta, non ſolum præ multis qui viuunt in primis poſſidere, ſed etiam quod in omnibus rebus caput eſt, ferè præ omnibus maximè decere, facile (ſine iactatione & inuidia) poſſis demonſtrare. Quare vtere iſto tuo tanto, tamq; excellenti bono, & fruere fælix, cum ad Dei Opt: Max: gloriam, tum ad Sereniſſimi Regis honorem ac ornamentũ, tum ad Eccleſiæ & Reip. emolumentum, tum deniq; ad Illuſtriſſ: Gentis Tuæ, decus & incrementum longe maximum; tuas equidem virtutes, merita, honores, omnis ſuſpiciet poſteritas, omnis fouebit, & admirabitur immortalitas.

DIXI.